

HIPPOCRATIS COIIVSIV=

RANDVM, IANO CORNARIO ME=

dico Physico interprete.



POLLINEM medicum, & Aesculapiū, Hygeamq; ac Pana-
 ceam iuro, deosq; omnes itēq; deas testes facio, me hoc iusu-
 randum, & hanc cōtestationem conscriptā pro uiribus & iu-
 dicio meo integrē seruaturū esse. Præceptorem sanē qui me
 hanc edocuit artem, parentum loco habiturū, uitam cōmuni-
 caturum, eaq; quibus opus habuerit impertiturū: eos item
 qui ex eo nati sunt pro fratribus masculis iudicaturū, artēq;
 hāc si discere uoluerint, absq; mercede & pacto edocturū: præceptionū, ac audi-
 tionū, reliquaq; totius disciplinæ participes facturum, tum meos, tum præce-
 ptoris mei filios, imò & discipulos qui mihi scripto cauerint, & medico iureiu-
 rando addicti fuerint, alij uero præter hos nulli. Cæterum quod ad ægros atti-
 net sanandos, diætā ipsi cōstituam pro facultate & iudicio meo cōmodam,
 omnēq; detrimentū & iniuriā ab eis prohibebo, Neq; uero ullius preces apud
 me adeò ualidæ fuerint, ut cuiquam uenenū sim propinaturus, neq; etiā ad hāc
 rem cōsiliū dabo, Similiter autē neq; mulieri talum uulua subditiciū, ad corrū-
 pendum conceptū, uel foetum dabo. Porro præterea & sanctē uitam & artem
 meam conseruabo. Nec uero calculo laborātes secabo, sed uiris chirurgiæ ope-
 rarijs eius rei faciendæ locum dabo. In quascūq; autē domos ingrediar, ob uti-
 litatem ægrotantium intrabo, ab omnīq; iniuria uoluntaria inferēda, & corru-
 ptione cum alia, tum præsertim operū uenerorum abstinebo, siue muliebria,
 siue uirilīa, liberorum uel hominū aut seruorum corpora mihi cōtingerint curan-
 da. Quæcūq; uero inter curandū uidero aut audiero, imò etiam ad medican-
 dum non adhibitus, in cōmuni hominum uita cognouero, ea siquidem efferre
 non cōtulerit, tacebo: & tanquā arcana apud me cōtinebo: Hoc igitur iusiurā-
 dum mihi integrē seruanti, & non confundenti, cōtingat & uita & arte felici-
 ter frui, & apud omnes homines in perpetuum gloriam meam ce-
 lebrari. Transgredienti autem & peieranti, his con-
 traria eueniant.